RUPERTUS TUITIENSIS. LANFRANCUS CANTUARIENSIS. HIERONYMUS. ETC.
12. Jh. Seite 5r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26274
Copyright: Admont, Benediktinerstift



dis inflant. ut obliuisci gestiant quod homines sunt. qualium notissi
mi in scripturis grauiter denotantur assur et pharaon et tyrus siue
rex tyri. rex quoque babilonis. quorum sub nominibus arguitur in scrip
turis superbia diaboli quod posuerit cor suum quasi cor dei di
cens. dicens ego sum. et in kathedra dei sedeo. quia tales homines per ui
cium ambicionis similes fuerunt illi. Quid si non increparentur. si
sperare potuissent futurum non esse. ut hic dictum est. tabescet caro
illius. et ossa que tecta fuerant nudabuntur. Quid in quam si non more
retur homo. sic non moritur diabolus. Quomodo vel per quid a superbia liberare
tur. ut non descenderet anima eius in corruptionem. et ut uita eius non
transiret in gladium. in quem transiuit diabolus. scilicet in dampnati
onis eternae iudicium. Ille namque propter superbiam in illum transiuit gla
dium. Diligenter animaduertendum. Non gladius in illum. sed ille transiuit
in gladium. Longe alius est sensus. cum dicitur transire gladius. ut illic. et si di
xero gladio transi per terram. et alius hic cum dicitur homo transire vel non transire
in gladium. Transitus gladii per terram penam significat transitoriam. tran
situs superbi in gladium. dampnationem innuit sempiternam.

Laudabilis quoque et omni gratiarum actione digna intentio tua
dicens. quia propter hoc mortales nos esse uoluisti ut a superbia
liberemur. atque per inde consequenter fieri debeat. ut nequaquam in
illum gladium malignum transeamus. Mirum quidem quod diabolus cum in
illum gladium transierit adhuc superbit. sed nunquid mirandum mi
nus de hominibus superbiae filiis. qui adhuc superbiunt sciendo et confiten
do quod mortales sint et cito moriturus. Dicunt enim. Exiguum et cum
tedio est tempus uitae nostrae quia ex nichilo nati sumus. et post haec erimus
tamquam non fuerimus. Umbrae enim transitus est tempus nostrum. et non est reuer
sus finis nostri. quomodo consignata est et nemo reuertitur. Uenite ergo et fru
amur bonis quae sunt et utamur creaturam tamquam in iuuentute cele
riter. Vino pretioso et ungentis nos impleamus. et non praeteriat nos